Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis decimâ-nonâ Februarii.

M. FRANCISCO PAJOT, Doctore Medico, Præſide.

An in febribus malignis dejectiones ſynceræ, malum?

DECIPITUR votis, qui ſalubrem & ab omni morborum cruciatu ſecuram ſperat vitam peragere; fas hoc non eſt, ita miſera eſt hominis conditio, ut nunquam ſtet poſſeſſor integer ſanitatis, ſtatim natus, ſtatim ægrotat, vix erupit ex uteri latebris, cum innumeri illum adoriuntur morbi; an non, & in principiis generationis latent ipſorum ſeminaria, nulla eſt ætas, nulla pars corporis, quæ proprios non patiatur morbos; alius eſt inſuper, qui nulli parcet ætati, nulli parti, nulli ſexui, nulli regioni, κοινότατον νόσημα, febris, calor eſt præter naturam accenſus in corde, actiones omnes lædens, adeo infenſus nativo ut ejus vim & poteſtatem peſſundet, varia illa, pro caloris intentione & remiſſione, pro ſubjecto in quo accenditur, pro putreſcentium ſuccorum ſpecie, & ſede: magni eſt momenti & ponderis quæ à ſymptomatis febrem comitantibus & ſupervenientibus deſumitur differentia, ſi lævia ſint, εὐήθης, ſi gravia aſſident κακοήθης, quæ ſemper cauſarum efficientium malignitatem & partium affectarum præſtantiam detegit à quibus non leve vitæ impendet periculum.

FEBRIS maligna, parentem & authorem agnoſcit putredinem, quæ humores quoſvis inquinat, quandoque tetrâ quâ ſpirat anathymiaſi, quandoque adhæſu proximos labefactat prorepitque, donec cordis arcem obſederit, ac tùm ſe ſuis prodit ſymptomatis, non tamen omnis putredo, valet eam excitare at inſolens & non vulgaris, aliquando ſæpè aperto marte ſævit in hominum genus, calor mordax deurit, ſitis inexhauſta cruciat & torquet, lingua calore & ſiccitate finditur, aliàs clàm & latenter vitæ inſidias ſtruit, calor initio mitis, urinæ ſanorum ſimiles, vix æger ægrotare ſe ſentit, & imperitis etiam imponit, at ubi pedem fixit & vires acquiſivit eundo quas ſtrages non edit, omne ſymptomatum genus, velut agmine facto ei aſſidet aut ſupervenit, facultates omnes læduntur, animalis delirio comate, vitalis pulſus inæqualitate lypothimiâ ſincopè, naturalis vomitu nauſeâ ſingultu, dejectionibus ſynceris, quæ non minimam ejus malignitatem declarant.

IN febribus malignis ἄκριτα διαχωρήματα bonis ægri rebus non contingunt, tantum abeſt ut ab iis recreetur natura, aut quid ſolatii ſperet prudens medicus, quin immo, damnis morbum augent, non quælibet humoris vitioſi per alvum evacuatio, fauſtis fit avibus & eſt ſalutaris & fida, utiles ſi quidem & in commodum ægri, ceſſuri ſucci, cum inquinatis magnâ virium jacturâ promiſcuè extruduntur, in his tanta eſt feritas, naturæ tam ſunt infenſi, & pravâ qualitate veſtiti, ut furiatæ inſtar belluæ, quæ clauſtra rumpit, & cui compedes difficile eſt injicere impetuoſius quâ datâ portâ ferantur; hac κενώσι opreſsâ copiâ natura, malignâ qualitate irritata tandem effæta fatiſcit, id fit quia indocilis humor coctionem non patitur, hanc tamen ſemper habet in votis & ubique intendit, ſed non ſemper feliciter; hoc opus adimplet & abſolvit, cum ejus legibus & motibus debitis ſequaces, & obedientes invenit, tunc illos miſcet, inſpiſſat, coquit, & coctos à ſe longe excernit.

NATURA vere morborum medicatrix, ejus vis & potentia maxime lucet in febribus quas humorum vitium excitavit, nunquam otioſa, explorat ubique quâ ratione & quâ viâ, noxiam materiam procul à ſe amandet, ſæpe commodâ alvi ſubductione id perficit & adimplet, cum humorem qui putruit & moleſtus fuit εὔπεπτον nanciſcitur quem feliciter & cum εὐφορίᾳ excernit in malignis par licet ſit conatus, par non ſemper eventus, in his non ſemper adverſus noxas ab humoribus importatas ſola valet, ſubſidiariâ indiget medicæ artis operâ & artificis induſtriâ qui laboranti & in ancipiti verſanti repetitâ pluries venæ ſectione & præſcriptâ ad ægri ſalutem tantùm remediorum ſupellectile & ſpretis ardelionum nugis & arcanorum fabulis auxiliares copias ſuppeditat, hæc omnia ferociens humor qui nec naturæ genio nec arte potuit demulceri, reſpuit & eludit, à quo ἄμικτα ὑδατόχολα διαχωρήματα expecta, quæ ægrum non vindicant à morbo nec ejus ſalutem aſſerunt.

CAVE credas febre maligna laborantis, res ideo in vado eſſe, aut meliore loco ſtare, quod per patentes vias & expeditas, naturæ familiares, & ſæpe tritas, dejectiones ſynceræ ferantur, non his æger minori verſatur in diſcrimine nec in utramque aurem obdormit peritus medicus aut ſpe falsâ beatioris ſortis lactat ægrum & aſſidentes, ἐνδιαστὸς ſemper morbus eſt, cum eas, nulla antecedant certa ſigna coctionis, nulla ſimptomatum fida ſit levatio aut leve mollimentum, non magiſtrâ ac duce naturâ hæ contingunt ſed vi morbi, exigua ſi quidem humoris νοσοποιὸς portio, cum majore utilioris ſucci copiâ maximo ægrotantis incommodo vacuatur, quæ majora vaſa & viſcera omnia ſordidâ proluvie obſeſſa non expedit, ὑδατόχολα tantum aut ἄμικτα vi caloris peregrini & flammei ſuo ſero ſpoliata foras eliminantur; quibus ſi ſuper addas vires quarum robore vita regitur & fulcitur, ſynceris dejectionibus mirum in modum frangi & atteri vere concludes.

Ergo in febribus malignis dejectiones ſynceræ, malum.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ioannes-Baptiſta Doye.
M. Vrbanus Leaulté.
M. Michaël Pichonnat.
M. Franciſcus Picoté de Belleſtre.
M. Nicolaus Bailly.
M. Ioannes Duval.
M. Nicolaus Lienard.
M. Philippus Douté.
M. Nicolaus Morin.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCUS-FAUSTUS ALLIOT, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1688.